

eminenti statu attribuere possit: Socinus tamen contr:
Wieck. p. 383. infringere conatur hanc orthodoxorum sen-
tentiam.

II.

Sic enim scribit: *Quandocunque (Deus) in sermone vel tex-
tu scripturae locum habet praedicati, tunc summus Deus non intelli-
gitur.*

III.

At haec observatio Scripturae ipsi contraria est. Illa n.
stante & concessa: consequens est, neq; Jehovam, neque Pa-
trem Christi, neque Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi &c.
esse Deum, quod tamen ne ipsi quidem Photiniani conce-
dunt.

IV.

Verum inquirunt: *loca allegata non habent praedictum De-
us, sed longè diversum: scil: Deus-Abrahami, Deus-Patrum, Deus-ex
quo omnia:* Resp. nos, descriptiones praedicatorum non
faciunt, quò minus praedicta ipsa invariata permaneant.
Quis enim ille Deus Abrahami, Deus ex quo omnia? alius ne
à summo Jehova? minimè gentium. Si igitur adversarij quid
obtinere voluerint, probent prius necesse est, Spiritum S.
ejusmodi cõpositione facere, ut non tantum notetur epithe-
ti adjectio; verum ejusmodi compositio, ex qua nova nomi-
na generentur.

V.

Assumptio probatur 1. quia nullus alius vocavit de me-
dio rubi ardentis Mosen, quam qui ipsi de medio apparuit.
2. quia benedictio apparentis, quam Moses Deut. 33, 16. Jose-
pho precatu est, eadem est cum vocantis. In solius enim
Dei nomine benedicendum, idem Moses attestatur Deutero-
nom. 21, 5.

VI.

Excipit Enjedinus in explicatione: L. L. V. & N. Test. in cap.
16. Gen. p. 24. & in 3. cap. Exod. p. 44. *Nullum esse absurdum,
personas legantis & legati permiscere, indifferentem usurpare, atq; dice-
re eundem & legantem & legatum.*

A 3

Resp.